

DECANVS
ORDINIS PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
CHRIST. BERNHARDVS
BÜCHERVS
ORD. PHILOS. ASSESSOR
ET H. T.
COMES PALATINVS CAESAREVS
PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE
CANDIDATIS
S. P. D.

Encycl.
102, 14.

*Erld. ges. II.
nach antiquiores reatibg
in ead. sint anteponi*

12

JOHANNES

ORDINIS PHILOSOPHICI

IN

ACADEMIA VITIMBURGENSI

CHRISTOPHERUS

AVOCHERVS

ORD. MILIT. ASSessor

ET H. T.

COMES PATRIAE CAESAREVS

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POTESTAS

CANDIDATUS

1712



Disputatum est hactenus in Gallia, iustis spissisque uoluminibus, nec sine animorum commotione, num antiquiores recentioribus, an uero hi illis in eruditione sint anteponendi. Ita inter reliquos eruditissima femina, Anna Daceria, Homeri autoritatem contra Houtardi Motthaei reprehensiones uindicauit, quod iam ante illam Nic. Boilauius aduersus Car. Perraltum alii- que fecerunt. Quae controuersiae, in re Philologica, studiisque, ut uocantur, humanitatis, occupatae, an- sam mihi dederunt, sedulo meditandi, quid de philosophandi ratione, apud ueteres usitata, sit habendum, et num fatius sit, hos sequi duces, an uero legere et audire tantum recentiores, praestet. Atque ante omnia diffiteri non possum, me nunquam sine stomacho atque indignatione legere, quantis ludibriis conuitiisque ueteres Philosophi, cum primis Aristotelici, soleant traduci ab illis, quibus, praeciudicio nouitatis occoecatis, nihil, quod uetustatem sapit, ad palatum est, multis, ut animi lectorum statim praecoccupentur, non dubitantibus, suorum librorum frontispicia picturis exornare, quibus ueteres, uelut ueteramentarii delineantur, non nisi usu

detrita, atque ex uariis pannis confuta, uestimenta ue-
num exponentes, cum contra recentiorum merces pul-
critudine et concinnitate sua omnium oculos ad se
trahant. Sordent hodie, quae a ueneranda antiquitate
sapienter dicta cogitataque sunt, conuelluntur funda-
menta a maioribus posita, et iam satis causae ad reiici-
endum dogma esse putatur, si communi consensu hacte-
nus a doctioribus receptum creditumque fuerit. Vndi-
quaque occasio quaeritur, ueterum placita non sine uo-
luptate fugillandi, quae si inuenta fuerit, non sane,
quod pueri in faba, inuenisse sibi, multi uidentur, qui,
quantum laudis maioribus detrahunt, tantum sibi ipsis
accedere, uanissime opinantur. Usque adeo corru-
pta sunt hominum inepte ambitiosorum iudicia, ut nil
nisi inauditum, et, quod nemini hactenus in mentem
uenit, proferre audeant, et tum demum uerorum Phi-
losophorum nomen mereri uideantur, si quam maxime
a communi hominum opinione discedant, cum tamen
multo sapientius esse uideatur iudicium Mendozae, no-
bilis ingenii indicium esse, existimantis, sequi doctri-
nam communioem, nisi urgente necessitate prematur,
siquidem praesumptio, quamdiu contrarium nondum
probatum fuit, pro illa semper stat sententia, quae tot e-
ruditissimorum uirorum examina sustinens, hactenus
approbationem cunctorum inuenit. Imo uero tales
Aristarchi cogitare debebant, rebus ita comparatis,
suis quoque dogmatibus, si recipi illa communi consen-
su aliquando contigerit, multum ponderis esse decessu-
rum. Id quod temporum nostrorum cacoethes quan-
topere ingenia tyronum corrumpat, ueraeque et non
fucatae eruditioni detrimentum afferat, facile unusquis-
que assequi coniectando potest. Non equidem is sum,
qui

qui, ueterum ingenia ingeniis recentiorum antestare, existimem, aut in illorum sententias descendam, qui in scriptis antiquorum, utpote Deos proxime attingentium, singulare quoddam θεῖον, recentioribus inimitabile, inuenire sibi uidentur. Neque etiam tam insanus Stagiritae cum Scholasticis admirator sum, uti mihi persuadeam, scriptis eius, quicquid excogitari potest eruditionis, contineri, adeo ut temerarium sit, ultra Aristotelis ingenium sapere uelle. Non placet symbolum Pauli Petauii:

Cum noua tot quaerant, non nisi prisca peto.

Tribuamus recentioribus illum honorem, quod multa peruerse a ueteribus posita correxerint, omissa addiderint, et Philosophiam praeclarissimis pulcerrimisque inuentis locupletarint. Interim prisca Philosophi, uelut apud Romanos senes sexagenarii, non erant de ponte praecipitandi, qui nisi recentioribus facem praetulissent, nunquam tantas hi in ueritate inuenienda progressiones fecissent. Illud uero nunquam sine animi commotione animaduerto, eos ipsos, qui aduersus ueterum scripta nunquam non censorium supercilium distringunt, in tanta tamen tamque pudenda Philosophiae uetustae ignorantia uersari, ut uel ab iis, qui uix a limine illam salutarunt, in ruborem dari possint. Non libet nunc, ire per singula, quibus facile integrum opus impleri posset. Namque

----- longa est iniuria, longae

Ambages -----

Non possum tamen, quin unicum exemplum speciminis loco afferam, quod cogitanti sponte succurrebat. Reprehendit Petr. Poiretus in *vera methodo inueniendi ue-*

rum, (*) sententiam Metaphysicorum, qua causam rerum efficientem externam uulgo esse statuunt, id quod quidem de artefactis concedi possit, non item de systematibus naturalibus, multo minus spiritualibus, in quibus causa efficiens maxime interna fit, atque in subiectis, in quibus operatur, delitescat. At, si uel leuissima saltem attentione mentem Philosophorum ponderasset, nosse facile poterat, causam externam ita non appellari *ratione loci*, quasi semper extra effectum positam esse oporteat, cum nemini ignotum sit, Deum O. M. hoc modo causam externam nullo modo appellari posse, sed *ratione essentiae*, quia essentiam sui effectus ita non constituit, et ingreditur, uti materia et forma, id quod de omni causa efficiente ualet. Atque ita

- - - - - crimine ab uno

Disce omnes.

Ceterum si nihil nos ad ueterum lectionem inflammare idoneum esset, hoc unum sufficeret, quod ea nobis uniformem, usuque tot temporum comprobata, methodum subministrat, quae, in credibile est, quantum adiuuenti studiis solidioribus afferat. Etenim, cum peruerfa illa consuetudo nostris temporibus inualescat, ut non regnorum tantum et imperiorum, sed scientiarum quoque et disciplinarum, limites moueantur, ipsaque principia, ne axiomatibus natura notis exceptis, conuellantur et in controuersiam ueniant, quantis non uariarum opinionum fluctibus circumagetur, quantaque in deuia abripietur is, qui, nullis adminiculis instructus, uasto huic infidoque pelago immittere sese audet.

Mos

(*) quae annexa est Tract. de erudit. solida superfic. et falsa p. 105.

Mos hactenus obtinuit, ut in una saepe Academia plures doctores inueniantur, quorum singuli a se excogitatam methodum, sibi que propria et domestica principia amplectantur, seque, ut fieri solet, mutuo confutent, conuitiisque nonnunquam proscindant, unde fit, ut studiosa iuuentus, rerum omnium ignara, et, quem sequi debeat ducem, nescia, diuersitate sententiarum, ueluti uertigine, in transuersum abripiatur. Equidem cogitanti mihi et cum animo meo reputanti, qui fiat, quod in hac literarum luce, qua seculum praesens fruitur, tam pauci tamen inueniantur solide docti, quorum multo maiorem prouentum tempora antecedentia tulerunt, haec praecipua ratio succurrit, quod nostri longe diuersam ab illis studiorum rationem sequantur. Veteres quippe, uno alteroue libro, sed optimo, contenti, in eo toti quasi habitabant, illumque in succum et sanguinem conuertebant, neque adeo multa, quam multum, legere solliciti erant. Nostri uero homines per infinitos, bonos, malos, libros uagantes, dum ubique commorantur, nullibi habitant, atque confusanea hac lectione non, quae usu, sed, quae externa tantum specie sese commendant, eligunt. Haec enim Helena est, quae omnium oculos in sui amorem admirationemque rapit. Haec fit, ut scripta recentiorum, qui ueterum fontibus hortulos suos non irrigarunt, sine fructu flores et folia exhibeant, hoc est, multum saepe ingenii, sed parum soliditatis, prae se ferant, id quod uel unicum Cartesii exemplum sufficienter demonstrat. Quae cum considero, sapientissimum esse iudico maiorum nostrorum institutum, quo lege publica cauerunt, ne alia, quam Peripatetica principia publice in Academiis proponerentur, quod etiam approbatum uideo

uideo a Morhofio, magno, si quisquam alius, solidae eruditionis iudice, qui, *Non male, inquit, suis rebus quaedam Academiae consuluerunt, quae ueteres Peripateticae philosophiae terminos mouere prudenti instituto prohibuerunt. Quod etsi quibusdam durum nimis & asperum uidetur, qui libertatem philosophicam semper crepant, sciant tamen illi, publicam philosophandi formam necessario tenendam esse, quae in praecipuis partibus ita ab Aristotele adaptata est in Logicis, Ethicis, Politicis, Rhetoricis, ut non facile emendari possit. Ne quidem in Physicis principiis eius doctrinam publicam repudiandam existimem, supplendam tamen nouis illis inuentis, cumque iis quodammodo conformandam. Quod feliciter a nonnullis tentatum est. (*)* Noui, non neminem haec uerba in hunc interpretari sensum, quasi libri Symbolici loco haberi uelit Aristotelem Morhofius, a cuius placitis uel latum unguem recedere, religio nobis esse debeat, id quod tamen ne per somnium quidem in mentem uenit summo Polyhistori. Eo saltem mens illius redit, Philosophiae oeconomiam, prout ab Aristotelicis est stabilita, esse retinendam, neque temere ab ea recedendum: quicquid uero ab aliis additum esset, ad eandem reuocari oportere, ita tamen, ut nemini prohibitum sit, naeuos in pulcro alias corpore occurrentes emendare. Neque enim illa reliquis est anteponenda philosophandi ratio, quae nullis erroribus est obnoxia, qualis in hac imperfectione est impossibilis, sed, quae quam paucissimis. Ita subscribo iudicio Pauli Rabii, Philosophi Regiomontani, qui, Academiae huius Professores, licet Stagiritam tum propter *ειρησβειαν* et methodi elegantiam, tum propter dogmatum

(*) Polyhist. T. I. L. 2. c. II. §. 28.

tum ueritatem et rationum ac demonstrationum euidentiam ducem et ipsimet sequantur, et studiosae iuuentuti prae aliis semper commendent, nunquam tamen in uerba eius iurasse, sed contra potius, ubi humani quid passus sit, emendasse, defectum suppluisse, methodumque, et ordinem subinde perfecisse, tradit. Non equidem me latet, maximam ueri Philosophi laudem in sentiendi libertate consistere, quando nullius in uerba magistri iurare cogitur, sed libere animi sui sensa exponendi facultate pollet. Verum moderata esse, nec in licentiam degenerare debet, libidinemque, omnia, ab antecessoribus posita, temere immutandi. Inprimis uero uesania illa a tyronum mentibus arcenda est, quae, si semel iuuenilem incesserit animum, difficulter eximi rursus potest, efficiturque dein, ut, statim ab initio de rebus non factis cognitis disputantes, ad ueritatem nunquam perueniant, sed a quouis facile huc illuc non rationibus sed uerbis circumagantur, aut, si morosiores sint, sententiam ab aliis traditam, aut, quam excogitarunt ipsi, ita mordicus teneant, ut nullis rationibus, ne quidem certis et euidentibus, ab illa dimoueri se patiantur. Quod si dein uolubilitas linguae accesserit, nihil arrogantius esse hoc hominum genere solet. Porro et id in modo philosophandi recentioribus communiter usitato reprehendo, quod, si nihil noui proferre in uulgus possunt, definitiones saltem rerum terminorumque, ut aliquid tamen dixisse uideantur, immutent, quod institutum quantum detrimenti afferat, dici sane non potest. Cum enim uerba sint signa rerum, magnam in animis tyronum ingenerari confu-

B fio-

tionem, necesse est, si tam diuersis modis terminos Philosophicos uideant usurpari. Quo sub malo etiam aliud ὑπουλον latet, quod saepissime, mutatis uerbis, ipsae quoque rerum ideae immutentur, uiaque ad uarios errores muniatur, qui non sine magna inuidia confutari possunt, cum imperiti rerum aestimatores, dum uident, de uocibus institui disceptationem, existimant, quasi tota lis tandem in λογομαχίαν abeat. Et, quamquam non negem, saepe uocabula Philosophica multo aptiora inueniri potuisse illis, quorum usus communior est, tamen ob diuturnum usum retinenda illa esse existimo, non aliter, ac uocibus in familiari conuersatione utimur, saepe a natua sua significatione abludentibus, quarum tamen significationem si priuata autoritate immutare constitueres, nae omnibus te deridendum propinares. Ad haec, cum plerique philosophiam non tam propter se, quam propter alias disciplinas, addiscant, facile unusquisque uidet, multo maiorem ex ueterum quam recentiorum τρόπῳ παιδείας fructum esse hauriendum, quandoquidem non Theologi tantum, sed et alii uiri docti in scriptis suis ad ueterem Philosophiam alludere solent, quorum scripta ipsis tenebris obscuriora nobis erunt, nisi aliqua saltem huius Philosophiae notitia fuerimus instructi. Ita et aduersarii nostri, cum primis ex Pontificiorum grege, ineuitabilem nobis necessitatem imponunt, ut, si mentem illorum assequi rite uoluerimus, ueterum nobis philosophorum placita, ad quae perpetuo alludunt, quam familiarissima reddamus. Denique nulla pars Philosophiae est, de qua ueteres non praeclarissime fuerint meriti, adeo, ut pauca, quae ad ipsam
disci-

disciplinarum essentiam spectant, emendatione opus habere uideantur. In Logicis sane optimi sunt magistri Peripatetici, neque in doctrina de Demonstratione ullus ex recentioribus comparandus illis est, quanquam in aliis non negem, aliqua non nullius utilitatis postea addita fuisse. In Metaphysicis contenti esse poteramus philosophematis ab antiquis acceptis, nisi quod nostrorum temporum infelicitas aliqua contra Atheos, Deistas aliosque eius furfuris homines addere coegit, qui profano ausu ueritates, communi hactenus consensu receptas, eneruare fuerunt ausi. In Physicis quanquam recentiores uariis instrumentis experimentisque, de quibus ueteres nefando quidem audiuerant, adiuti, tot praeclarissima inuenta addiderunt, ut nobilissima haec scientia nouam ueluti faciem induisse uisa fuerit, principia tamen Philosophiae peripateticae, ut rectissime iudicat Hamelius, solida satis sunt, nec Scripturae in quoquam aduersantia, et quanquam, minus sufficientia esse, idem Auctor tradat, nemo tamen hactenus inuentus est, qui tales traderet hypotheses, ex quibus omnium phaenomenorum origines ac rationes accuratissime demonstrari possent. In moralibus tandem Stagiritae palmam praebere eo minus dubito, cum iudicio ipsius Apologiae A.C. confirmor, inquentis: (*) *Aristoteles de moribus ciuilibus adeo scripsit erudite, nihil ut de his requirendum sit amplius.* Quod iudicium licet multi albis, ut dici solet, dentibus rideant, a summo tamen Philosopho peritoque harum rerum aestimatore profectum contemni non debebat.

(*) p. 62.

bebat. Quin imo, quanta fuerit ueterum in hac eruditionis parte cognitio uel unum Grotii praeclarissimum opus de Iure Belli et Pacis docere nos potest, in quo confarcinando Aristoteles, eiusque interpretes, una cum aliis, ne Scholasticis quidem exceptis, magno ei adiumento fuerunt. Quod uero quidam Philosophiam moralem, Scriptura S. adiuti, emendare sunt aggressi, eo ipso pro Ethica nobis Theologiam moralem obtulerunt. Quare nos, qui sanam sobriamque atque accuratam philosophandi rationem adamamus, nunquam ueterum libros ex manibus deponamus, atque, uti de Cicerone alicubi Quintilianus dixit, eo maiores quem in eloquentia progressus fecisse, quo magis ipsi Cicero placuerit, ita et, nos eo magis in ueritatis indagatione profecisse, cogitemus, quo maiorem ceperimus ex ueterum lectione uoluptatem. Neque a proposito nos dimoueat delicatus seculi nostri genius, cui a ueteribus approbata non sapiunt, et cuius dictamini sese accommodare plerique longe consultissimum esse putant. Nondum enim ita uniuersali prauitate tempora nostra infecta sunt, ut nemo inueniatur, sano sinceroque iudicio pollens. Sint sane plerique, quos malus quidam genius morbo epidemio affluit: dantur tamen adhuc quidam, licet uix totidem, quot *Thebarum portae, ac diuitis ostia Nili*, ab hoc malo immunes, quorum iudicia sequi praestat, quam cum turba innumera in deuia rapi. Philosophi enim non est, numerare sententias, sed ponderare. Neque despero, homines tandem morum nostri temporis pertaesos, atque ex ueterno suo excitatos ad meliorem frugem redituros esse. Non ego nunc disputo, utrum gustus nostrorum hominum, ut appellant, et de quo
hactenus

hactenus multum inter eruditos disputatum fuit, gustui ueterum praestet, nec ne, cum, quod uulgo in Physicis dicere solemus, non esse de gustibus disputandum, id etiam in eruditione uerum sit. Singula tempora, singulae nationes, imo singuli homines peculiarem gustum habent, inter quos qui melior sit, difficulter diiudicari potest. Sed ponamus, gustum recentiorum magis cum ratione conuenire, an uero ipsa etiam edulia, liceat enim metaphoram continuare, meliora erunt? Vti enim, postquam omnia saccharo aromatibusque condiri coepta sunt, res insipidissimae saepe quam optime sapiunt, ita et ingenia, quae se hominum moribus accommodare norunt, opiniones maxime noxias et exitiosas tanta cum specie instillare aliis solent, ut apud omnes applausum consequantur. Sileant quoque illorum uoces, qui clamitare solent, in ueteri Philosophia nonnisi tricas et apinas doceri, in spem futuram obliuionis addiscendas, quae insuper tam horrido et inculto stylo, tamque obscure proponantur, ut Delio natatore opus sit, ne quis in illis praefocetur. At uero multa uidentur tricae esse, quae tamen reuera non sunt. Mirum enim non est, illis, qui accuratiori philosophandi et res Theologicas tractandi rationi assueti non sunt, multa philosophemata uelut inania, obscura, ac nihil significantia apparere, quae genuinis rerum aestimatoribus utilissima uidentur. Neque ego auctor cuiquam fuerim, ut in illis scriptoribus ex grege Scholasticorum legendis tempus perdat, qui in concertationibus inutilibus aetatem suam collocarunt. Habemus sane alios, qui bona a malis, utilia a superuacuis, au-

rum a scoriis segregarunt. Imo nec ex ueteribus de-
sunt, qui elegantissimo stylo sua proposuerunt, ut ipse
Aristoteles, de cuius tamen obscuritate passim que-
relae instituuntur, ab ipso Quintiliano, satis idoneo
iudice, ob styli elegantiam commendetur. Praeterea
si cogitamus, τὰ καλὰ semper δύσκολα esse, neque
gloriam ueri Philosophi in eo consistere, si in perspi-
cuis omniumque cognitioni peruiis occupetur, sed
illa potius sectetur, quae ingeniis quotidianis abscon-
dita non nisi acri iudicio erui et penetrari possunt,
mirum non est, multa in rebus philosophicis esse ob-
scura illis, qui in abditis rerum recessibus perscu-
tandis non satis exercitati sunt, ut adeo non tam ho-
rum Philosophorum inuidia, quam potius siue ipsa
rerum, de quibus agunt, siue etiam legentium condi-
tio, obscuritatem causetur. Adhaec, cum ueteres paucis
multa eloqui in more habeant, non potuit non sae-
pissime id illis contingere, quod Poeta dicit:

- - - - - dum breuis esse laboro,
Obscurus fio - - -

Si quis autem ea, qua opus est, diligentia, eoque or-
dine, qui a multis praescriptus est, hisce in studiis
uerfetur, intelliget profecto, quae initio graua sunt,
ea, si summa animi contentione in ueri scrutinio per-
gas, temporis progressu facillima fore. Quare dif-
ficultas potius nos inflammet, ut eo maiori cum di-
ligentia ueritatem in puteo abditam eruamus, et,
quod abstrusum et a sensibus remotum est, quan-
tum fieri potest, in solis mensa collocemus. Non
desunt equidem existimantes, non opus esse, ut in le-
ctione

ctione ueterum tempus infumatur, ex quo illud incommodum sequi soleat, ut tyrones non res ipsas indagare, sed nomina ueneranda metuere discant, cum talia potius ingenia ad philosophiam assuefacienda sint, quae proprio Marte solaque meditatione adiuti, uerum a falso discernere possint. At uero, dum hi homines autoritatis praeiudicium euitare cupiunt, a quo tamen facile cauere sibi quis potest, si eo animo ad ueterum lectionem accesserit, ut nihil pro uero assumere apud se certo constituat, nisi quod uerum esse clare et distincte cognouerit, in contrarium philautiae praeiudicium incidunt, quo fit, ut, nimis magnifice de rebus suis sentientes, nihil, nisi a se inuentum excogitatumque admittant, qui, si alios etiam consulere magistros dignarentur, intelligerent, in quibus sibi tantopere placent, ea fatis protrita, et ab aliis iam dudum esse animaduersa. Sed cum haec ulterius persequi, nec uacet, nec per chartae angustiam liceat, ad id potius, cuius gratia haec disputatio praemissa est, conuertor. Instat nimirum tempus, quo ex Amplissimi Ordinis Philosophici decreto more institutoque maiorum honores tum in Philosophia, tum in arte Poetica, summi illis conferendi sunt, qui bonis literis sedulam hactenus operam nauantes felices in eruditione progressionem fecerunt. Cum uero ob necessarium in Patriam iter munia Decanatus, bona Amplissimi Ordinis Philosophici cum uenia, Excellentissimo Pro-Decano IOH. FRIDERICO WEIDLERO Mathem. Super. in hac Academia Professore celeberrimo, demandare cogar, Vos, *Nobilissimi Clarissimique Philosophiae et artis Poeticae*

Poeticae Candidati, ut honestissimos dignitatis Philo-
phicae gradus adipiscamini, eumque in finem nomina
Vestra mature apud praedictum Dn. Pro-Decanum
significetis, quam humanissime inuito. Agite itaque,
Clarissimi Candidati, atque insigne illud eruditionis, di-
urna nocturnaue non recentiorum tantum, sed et
ueterum lectione Vobis partae, testimonium capef-
fite, quod haud mediocri Vobis adiumento erit, ad
sublimiora cum Deo et die ascendendi. Deus uero
O. M. illa, quae a nobis gerentur, fausta, felicia et
fortunata esse, illamque temporum, quae adhuc nos
tantum non opprimit, infelicitatem, breui meliorem
assumere faciem, benignissime iubeat. P. P. Vitem-
bergae pridie Nonas Quintilis A. C. cl o lo ccxx.

VITTEMBERGAE
LITERIS SAMVELIS CREVSIGII.

